

Mat Rex Salomon. Cap. 19. v. 16. Jehu filius Nimsi Ungitur Rex super Israel.
Esaia. 45. v. 1. Cyrus nuncupatur Christus, sive unctus DEI.

Prophetica. 1. Reg. 19. v. 16. Elifæus ungitur in Prophetam.

Porro commemoratur Spiritualis Unctio omnium fidelium.

2. Cor. 1, v. 21. Qui unxit nos DEUS est. 1. Job. 2. v. 20. 27. Vos unctio-
nem habetis à Sancto illo, & noscitis omnia. Et unctio quam vos accipi-
stis ab eo, manet in vobis, & non necesse habetis, ut quisquam doceat vos.
Sed sicut ipsa unctio docet vos de omnibus & verax est, & non est men-
dacium. Et sicut docuit vos, manete in ea. Item

MIRACULOSA. Marci. 16. v. 13. Et ungebant oleo multos egros,
& sanabant. Jacob. 5. v. 14. Infirmatur quis inter vos, accersat presby-
teros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.
Denique verò laudatur in verbo DEI singularis plane illa & divi-
na Unctio, quâ Redemptor & Salvator mundi unctus est, indeq; di-
citur Christus. Ps. 45. v. 8. Unxit te Deus, Deus tuus, oleo letitiæ præ-
confortibus tuis Ebr. 1. v. 9. Esai. 61. v. 1. Spiritus Domini super me, quod
unxerit Dominus me, ad annunciandum mansuetis misit me. Nimirum
Christus nobis unctus est in Pontificem & Sacerdotem, qui unico nos sa-
crificio corporis redimeret. Ebr. 10. v. 10. Et semper pro nobis apud Pa-
trém intercederet. Ebr. 9. v. 24.

Unctus nobis est in Regem, qui nos verbo & Spiritu suo regeret.
Psal. 2. v. 6. & adversus hostes quosvis defenderet. Zachar. 9. v. 9. Matth.
21. v. 5. Ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator: Unctus est nobis
in Prophetam & Doctorem, qui nobis patefaceret voluntatem
Dei Patris de Redemptione generis humani. Job. 1. vers. 18. DEUM
nemo vidit unquam. Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse e-
narravit, ἐξ η̄ς ἦσα το, dilucidè proposuit. Eapropter Filius DEI
Christus dictus est, ex quo in Sanctæ semper virginis utero conce-
ptus, & caro immutabiliter factus est, ut Damascenus loquitur, lib. 4.
de Orthodoxa fide. cap. 6. Ipse seipsum unxit, Damasc. ibid. lib. 3. cap. 3.
unguens quid. ut DEUS sua Deitate corpus, unctus autem ut homo.

APHOR. III.

Propriissimum Christi nomen Ἰησους est ab Angelo sic di-
ctus, quod populum suum salvaturus sit ab omni peccato.

Matth. 1. v. 21. Pariet filium, & vocabis nomen ejus Jesum: is enim
salvum faciet populum suum à peccatis suis. Luc. 2. v. 21. vocatum est no-

men